

CUIUS SUPRA AD OMNES GALLIARUM URBIUM EPISCOPOS DE CONSPIRATIONIBUS ET RELIQUIS ILLICITIS CAUSIS, NE FIANT 39v

Dilectissimis fratribus per Galliam constitutis universis episcopis Calixtus. 1

5 Plurimorum relatu comperimus dilectionem vestram fervore spiritus sancti ita 2
ecclesiae gubernacula firmiter contra impetus tenere et regere, ut naufragia deo
auctore non sentiat. Talibus igitur gloriantes iudiciis rogamus, ne illis in partibus
contra statuta apostolica quicquam fieri sinatis, sed nostra fulti auctoritate nociva
compescite, illicita prohibite.

10 Conspirationum vero crimina vestris in partibus vigere audivimus, et plebes 3
contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cuius criminis astutia non
solum inter christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos et ab exteris
legibus prohibita. Et idcirco huius criminis reos non solum ecclesiasticae, sed
etiam saeculi damnant leges, et non solum conspirantes, sed etiam et
15 consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum,
quicumque eorum in sacerdotali honore sunt positi aut existunt clerici, honore,
quo utuntur, cadere praeceperunt, ceteros vero communionem privari et ab ecclesia
extorres fieri iusserunt, omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse
censuerunt, et non solum facientes, sed et eis consentientes. Iustum est enim, ut,
20 qui divina contemnunt mandata et inoboedientes patrum existunt iussionibus,
severioribus corrigantur vindictis, quatenus ceteri timorem habeant talia
committere, et deus gaudeat fraternitate ac concordia, et cuncti sumant severitatis
atque bonitatis exemplum. Nam si, quod absit, ecclesiasticam sollicitudinem
vigoremque neglegimus, perdit desidia disciplinam et animabus fidelium profecto
nocebitur. Hi vero in nullius accusatione sunt recipiendi nec eorum vel
25 anathematum vox ullum nocere aut accusare potest.

Excommunicatos quoque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis 4
examinationem iustam, nec cum eis in oratione aut cibo vel potu aut osculo
communicet, nec ave eis dicat, quia, quicumque in his vel aliis prohibitis scienter 40r
excommunicatis communicaverit, iuxta apostolorum institutionem et ipse simili
30 excommunicationi subiacebit. Ab his ergo clerici et laici se absteineant, qui eadem
pati noluerint. Infidelibus quoque nolite coniungi nec cum eis ullam
participationem habere. Talia vero agentes non fideles, sed infideles iudicantur.
Unde ait apostolus: Quaeve pars fidei cum infidele, aut quae participatio iustitiae
cum iniquitate?

35 Nemo quoque alterius parrochianum iudicare aut excommunicare 5
praesumpserit, quia talis iudicatio aut excommunicatio vel damnatio nec rata erit
nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius iudicis nisi sui sententia tenebitur
aut damnabitur. Unde et dominus loquitur dicens: Ne transgrediaris terminos
antiquos, quos posuerunt patres tui. Nullus autem primates vel metropolitanus
40 diocesiani ecclesiam vel parrochianum aut aliquid eius parrochia praesumat
excommunicare vel iudicare aliquidve agere absque eius consilio vel iudicio, sed
hoc observet, quod ab apostolis ac patribus et praedecessoribus nostris est
statutum et a nobis confirmatum, id est, si quis metropolitanus episcopus, nisi
quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio et

9 Conspirationum] *in margin*: De conspiracyonibus 13 etiam²] *corrected from* etiam et (et
canceled) 16 cadere] *in margin*: vel carere 30 subiacebit] *corrected from* iacebis 31 coniungi]
corrected from coniungere 40 parrochia] *corrected from* parroechiam 43 statutum] *corrected from*
statum

voluntate omnium comprovincialium episcoporum extra aliquid agere 45
 temptaverit, gradus sui periculo subiacebit, et quod egerit, irritum habeatur et
 vacuum. Sed quicquid de provincialium coepiscoporum causis eorumque
 ecclesiarum et clericorum atque saecularium necessitatibus agere aut disponere
 necesse fuerit, hoc cum omnium consensu provincialium agatur pontificum, non
 aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordī administratione, sicut 50
 dominus ait: Non veni ministrari, sed ministrare. Et alibi: Qui maior est vestrum,
 erit minister vester, et reliqua. Similiter et ipsi comprovinciales episcopi cum eis
 consilio, nisi quantum ad proprias pertinent parochias, agant iuxta sanctorum
 constituta patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur trinitas in
 saecula. Nullus primas, nullus metropolitanus nullusque reliquorum episcoporum 55
 alterius adeat civitatem aut ad possessionem accedat, quae ad eum non pertinet et
 alterius episcopi est parochiae super cuiusquam dispositione nisi vocatus ab eo,
 cuius iuris est dinoscitur, ut quiddam disponat vel ordinet aut iudicet, si sui
 gradus honore potiri voluerit. Sin aliter praesumpserit, damnabitur, et non solum
 ille, sed cooperantes eique consentientes, quia sicut ordinatio, ita eis et iudicatio 60
 et aliarum rerum dispositio prohibetur. Nam qui ordinare non poterit, qualiter
 iudicabit? Nullatenus procul dubio iudicabit aut iudicare poterit, quoniam, sicut
 alterius uxor nec adulterari ab aliquo vel iudicari aut disponi nisi ab proprio viro
 eo vivente permittitur, sic nec uxor episcopi, quae eius ecclesia vel parochia
 indubitanter intellegitur, eo vivente absque eius iudicio et voluntate alteri iudicare 65
 vel disponere aut eius concubitu frui, id est ordinatione, ullatenus conceditur.

6 Unde ait apostolus: Alligata est uxor legi, quamdiu vir eius vivit, eo vero
 defuncto soluta est a lege viri. Similiter et sponsa episcopi, quia sponsa uxorque
 eius dicitur ecclesia, illo vivente ei est alligata. Eo vero defuncto soluta est, cui
 voluerit, nubat, tantum in domino, id est regulariter. Si enim eo vivente alteri 70
 nupserit, adultera iudicabitur. Similiter et ille, si adulteram sponte duxerit, adulter
 aestimabitur et communione privabitur. Si autem persecutus in sua fuerit ecclesia,
 fugiendum illi est ad alteram eique sociandum dicente domino: Si persecuti vos
 fuerint in unam civitatem, fugite in aliam. Si autem utilitatis causa fuerit 75
 mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus invitantibus et auctoritate huius
 sanctae sedis faciat, non ambitus causa, sed utilitatis.

7 Coniunctiones autem consanguineorum fieri prohibete, quando has et divinae
 et saeculi prohibent leges. Leges ergo divinae haec agentes et eos, qui ex eis
 prodeunt, non solum eiciunt, sed et maledictos appellant. Leges ergo saeculi
 infames tales vocant et ab hereditate repellunt. Nos vero sequentes patres nostros 80
 infamia eos notamus et infames esse censemus, quia infamiae maculis sunt
 aspersi. Nec eos viros vel accusatores, quas leges saeculi reiciunt, suscipere
 debemus. Eos autem consanguineos dicimus, quos divinae et imperatorum atque
 Graecorum leges consanguineos appellant et in hereditate suscipiunt nec repellere
 possunt. Talium enim coniunctiones nec legitimae sunt nec manere possunt, sed 85
 sunt repellendae. Quisquis ergo non est legitime coniunctus vel absque dotali
 titulo ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes criminari vel in eos
 40v testificari minime potest, quoniam omnis incesti macula pollutus infamis est et
 accusare supradictos non permittitur. Non solum ergo hi reiciendi sunt et infames
 efficiuntur, sed etiam omnes eis consentientes. 90

Similiter de raptoribus vel eis, qui senioribus impetunt, fieri censemus. Hos 8
 vero saeculi leges interficiunt, sed nos misericordia praeunte sub infamiae nota
 ad poenitentiam recipimus, ipsam quoque infamiam, qua sunt aspersi, delere non
 possumus, sed animas eorum per poenitentiam publicam et ecclesiae
 95 satisfactionem sanare cupimus, quia manifesta peccata non sunt occulta
 correctione purganda.

Omnes ergo, qui in recta fide suspecti sunt, in accusatione sacerdotum et 9
 eorum, super quorum fide non hesitatur, minime recipiantur et in testimonio
 humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum vocem, de quorum fide
 100 dubitatur, nec eis omnino esse credendum, qui rectam fidem ignorant.
 Quaerendum est ergo in iudicio, cuius sit conversationis et fidei qui accusat, et is,
 qui accusatur, quoniam hi, qui non sunt rectae conversationis ac fidei, et quorum
 vita est accusabilis, non permittuntur maiores natu accusare, nec quorum fides,
 vita et libertas nescitur, neque viles personae in eorum recipiantur accusationem.

Rimandae vero sunt accusatorum enucleatim personae, qui sine scripto 10
 difficile, per scriptum autem numquam recipiantur, quia per scripturam nullus
 accusari potest, sed propria voce et praesente eo, quem accusare voluerit, suam
 quisquis agat accusationem, nec absente eo, quem accusare voluerit, quicumque
 accusator credatur. Similiter testes per quamcumque scripturam testimonium non
 110 proferant, sed praesentes, quae viderunt et noverunt, veraciter testimonium
 dicant. Nec de aliis causis vel negotiis testimonium dicant, nisi de his, quae sub
 praesentia eorum acta esse noscuntur. Accusatoris vero consanguinei adversus
 extraneos testimonium non dicant, nec familiares vel de domo prodeuntes, sed si
 voluerint et invicem consenserint, inter se parentes tantummodo testificentur, et
 115 non in alios. Nec accusatores vel testes suspecti recipiantur, quia propinquitatis et
 familiaritatis ac dominationis affectio veritatem impedire solet.

Amor carnalis et timor atque avaritia plerumque sensus hebetant humanos et 11
 pervertunt opiniones, ut quaestum pietatem putent et pecuniam quasi mercedem
 prudentiae. Nemo enim in dolo loquatur ad proximum suum, fovea alta est os
 120 malivoli, innocens dum credit facile, cito labitur. Sed iste lapsus surgit, et
 tergiversator suis artibus praecipitatur, unde numquam exiliat atque evadat.
 Ponderet ergo unusquisque sermones suos, et quod sibi loqui non vult, alteri non
 loquatur, unde bene sacra ait scriptura: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.
 Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturius agamus, nec praecipitemus
 125 consilia et opera nostra neque ordinem corrumpamus. Sed si aliquis lapsus
 quoquo modo fuerit, non perdamus eum sed fraterno corripiamus affectu, sicut ait
 beatus apostolus: Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui
 spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis considerans teipsum, ne et
 tu tempteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Porro
 130 sanctus David de criminibus mortiferis egit poenitentiam et tamen in honore
 permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lacrimas fudit, quando dominum
 negasse poenituit, sed tamen apostolus permansit. Et dominus per prophetam
 peccantibus pollicetur dicens: Peccator in quacumque die conversus ingemerit,
 omnium iniquitatum illius amplius non recordabor.

91 Similiter ... raptoribus] *in margin*: De raptoribus 93 ipsam ... infamiam] *corrected from*
 ipsum...infamium 97 Omnes ergo] *in margin*: de accusatoribus 106 per²] *added* 112 Accusatoris ...
 consanguine] *in margin*: de consanguineis non recipiendis in testimonium 121 praecipitatur] *corrected*
 from praecipatur 126 non] *added* perdamus] *corrected from* perdemus corripiamus] *corrected from*
 corrumpamus

- 12 Errant enim, qui putant sacerdotes post lapsum, si condignam egerint poenitentiam, domino ministrare non posse et suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint et suum sacerdotium condigne custodierint. Et ipsi, qui hoc putant, non solum errant, sed etiam contra traditas ecclesiae claves disputare et agere videntur, de quibus dictum est: Quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo, alioquin haec sententia aut domini non est aut vera. Nos vero indubitanter tam domini sacerdotes quam reliquos fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus testante domino per prophetam: Numquid qui cadit non adiciat, ut resurgat, et qui aversus est, non revertetur? Et alibi: Nolo, inquit dominus, mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et propheta David poenitentiam agens dixit: Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me. Ipse namque post poenitentiam et alios docuit et sacrificium deo obtulit dans exemplum doctoribus sanctae ecclesiae, si lapsi fuerint et condignam poenitentiam deo gesserint, utrumque facere posse. Docuit enim, quando dixit: Doceam iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Et sacrificium deo pro se obtulit, dum dicebat: Sacrificium deo spiritus contribulatus. 135
- 13 Videns enim propheta scelera sua mundata per poenitentiam non dubitavit praedicando et domino libando curare aliena. Lacrimarum ergo effusio movet animi passionem. Satisfactione autem impleta avertitur animus ab ira. Qui enim non ignoscit alteri, quomodo sibi putat subveniri? Superabundant ergo peccata et misericordia, quoniam apud dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. Penes dominum enim omnium abundantia est, quia dominus virtutum ipse est rex gloriae. 140
- 14 Ait enim apostolus: Omnes peccaverunt et egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum, in sustentatione dei, ad ostensionem eius in hoc tempore, ut sit ipse iustus et iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi. David enim dicit: Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. Mundatur ergo homo a peccato et resurgit gratia dei lapsus et in pristino manet officio iuxta praedictas auctoritates, videat, ne amplius peccet, ut sententia evangelii manat in eo: Vade et amplius noli peccare. Unde ait apostolus: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut oboediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos tamquam ex mortuis viventes et membra vestra arma iustitiae deo. Peccatum enim vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis, quoniam, cui exhibetis vos servos ad oboediendum, servi estis eius, cui oboedistis, sive peccati ad mortem, sive oboeditionis ad iustitiam? Gratias autem deo, quod fuistis servi peccati, oboedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in qua traditi estis. Liberati autem a peccato servi autem facti estis iustitiae, humanum dico. Maius enim peccatum est iudicantis quam eius, qui iudicatur. 145

135 Errant] *corrected from* Erant; *in margin:* de his, qui putant sacerdotes post lapsum domino ministrare non posse, si dignam egerint poenitentiam 138 contra] *added* 165 lapsus] *corrected from* lapsu pristino] *corrected from* pistrino 167 manat] *corrected from* manet 174 oboedistis] *corrected from* oboeditis

180 Existimas autem, inquit apostolus, o homo omnis, qui iudicas eos, qui talia 15
agunt et facis ea, quia tu effugies iudicium dei? An divitias bonitatis eius et
patientiae et longanimitatis contemnis ignoras, quoniam benignitas dei ad
poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impenitens cor
thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii dei, qui reddet
185 unicuique secundum opera eius: his quidem, qui secundum patientiam boni operis
gloriam et honorem et incorruptionem quaerentibus vitam aeternam, his autem,
qui ex contentione et, qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et
indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum,
Iudaei primum et Graeci, gloria autem et honor et pax omni operanti bonum.
190 Sententiam, fratres, quae misericordiam vetat, non solum tenere, sed et audire
refugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.

Consultis vestris breviter respondimus, quia oppressos nimis et aliis 16
praeoccupatos iudiciis litterae nos invenere vestrae.

Data VIII Id. Octobris Antonio et Alexandro cc. cons. 17